



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. XIV. Serpens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** solent. Ab Ægyptiis enim ea primordia sumpserunt, vel haudquaquam dissimilia sunt ab eorum inventis. Cattus igitur in hujusmodi gestaminibus insigne fuit, ut vetustæ indicant inscriptione, ejus ordinis qui AUGUSTEI vocabantur: hi sub magistro peditum stipendia faciebant. Erat vero Cattus is prasini coloris in alma parma, quam ruber circulus ambibat, late marginem circumplexus, gestus ejus ut currentis, reflexo in dorsum capite.

## FELICES SENIORES. CAP. XLIV.

**A** Libi dimidijs Cattus rubri coloris in parma puniceo dilutiore spectabatur, qui à margine rubro surrectus, pedibus ad lufum compositis, ad blandiri videbatur. Insigne hoc erat, quantum ex vetustis ipsius reliquijs colligere potuimus, FELICITUM SENIORUM, qui sub eodem magistro peditum militabant.

## ALPINI. CAP. XLV

**B** Sub eodem Duce signum etiam militare fuit, in quo Cattus coloris punicei diluti, recta facie progrediens, habebatur in parma viridi, cujus marginem albus circulus ambibat. Gestamen hoc erat militum, qui ALPINI vocabantur.

Sed jam, Jo. Antoni charissime, nolim otium tuum curiositate aliqua mea inturbare, dum morosa & levi forsitan dictione studiorum tuorum cursum intercipio. Hæc igitur pro qualicumque munusculo ita ex improvviso comparato, satis fuerint: de reliquijs, si argumentum minime displicuerit, alias plura coram coferemus.

JOHANNIS PIERII VALERIANI  
HIEROGLYPHICORUM  
LIRER XIV.

**C** DE HIS QUÆ PER SERPENTEM IN GENERE  
SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD CLARISS. CARD. BERNARDINUM MAFFÆUM.

**R**ecandissima illa amicitia suavitas tua, meusque erga te cultus, & per vetus admodum observantia, quæ Romæ primum, vel à primis laudatissima adolescentie tue annis instituta, mox Patavii, quo ad ingenii cultum capeendum concesseras, clarissimarum virtutum tuarum ingenij, sanctissimi cognitione aucta est: & tuo in omnibus rebus meis patrocinio confirmata, efficiunt, ut nullo inquam tempore, neque longissimo quantumvis loco remotus, immemor tui esse possim. Quare, licet aliquot abhinc annis te non viderim, nunquam maxime longe absis, & in Cardinalatus splendorem assumptus, necesse est te magnis omnino negotiis & occupationibus detineri: tam mihi tamen oculis inhaerescis, ac se te coram continuo conspicerem. Hinc factum est, ut cum domi aliquantulum otii nactus lucubrations illas, quas tantopere videre concupiscis, recognoscerem, easque in libellos unamquamque suos dirigerem, earum partem ad te mittere cogitarem. Id opportune necne fecerim, non sat scio, ac certe amanter & ex officio à me factum hoc certo scio: ut scilicet haberes istæ, in ista qua fulges amplitudine, si tibi tantulum horæ vel à publicis curis, vel à tuis sanctioribus studiis vacuum relinqueretur, quod cum Pierio tuo loquerere, qui te semper unice sancteque coluit ac observavit. Neque tamen tanquam summa eruditiois tua nescius, arbitratus sum novi me quicumquam allaturum tibi: verum quia nullum unquam abs te sermonem uberiozem, dum una fuimus haurire me solitam meminerim, quam de literis & disciplinis, id dedi operam, ut de literis & disciplinis nosset hic per libellum, quem ad te misi, congressus



gressus esset. Erit vero sermo de iis, quae per Serpentis imaginem apud veteres significabantur, quibus  
 Aegyptii sacerdotes, & plerique alii, pro literis usi sunt: quae quamvis forte haud incognita sint tibi, decies  
 tamen repetita placere semper poterunt, quae de doctrina semel placuisse: quare te ad rem recognoscen-  
 dam, ubi per otium licuerit, spero non invito animo accessurum.

CAP. I.

Anguis, atque adeo reptilium aliquot significata dicitur, cum pro varia eorum pictura, diver-  
 sisque speciebus, varia identidem significata sint, curae pretium esse existimavi genus ejusmodi  
 prius tractare, cuius effigies excogitata est auspiciosa, augustiorque, magno apud veteres in cultu  
 habita, caerulea quippe facie, colore nitido, squamis pellucidibus, capite minime formidoloso: à  
 quo nostrae erit dictionis initium. Cum his Basiliscum enumerant, tametsi ejus animalis violentiam  
 mortales reliqui longe aliter interpretantur. Post Basiliscum Aspis est, ac mox Vipera à quibus Aegy-  
 ptii multa hieroglyphicam argumenta desumpserunt, & divinae nostrorum literae horum saepe mentio-  
 nem faciunt. Sed Dana illi suum religiose praeferebant, qui opem omnibus praesentaneam polliceatur:  
 quare quanam sint ea, quae hinc significantur, dicere jam incipiamus.

MUNDI MACHINA. CAP. II.

*serpens cau-  
dam depa-  
scens quid.*

Mundum univertum Aegyptii sacerdotes describere volentes, Anguem qui caudam propriam  
 depasceret, eumque variis insignem maculis pingebant, de quo Claudianus:

*Perpetuumque virens squamis, caudamque reducto  
 Ore vorans, tacito relegendis exordia lapsu.*

Quod dubio procul significat omnia quae divina providentia in mundo generantur, ab eodem cum  
 solvi ceperint, sive paulatim imminui atque deficere, in sese recipi, fierique illud prope modum, quod  
 apud quosdam Aethiopiae populos assiduo est in usu: qui cum nullo alio nutrantur cibo quam pisci-  
 um, humana deinceps cadavera piscibus obiectant, victum quem ab eis acceperant ex seipsis repen-  
 dentes. Haec vero cauda ab suo animali corrosa, receptae autoritatis assumptum illud significat,  
 quod uno omnium consensu fertur, decrementum uniuscujuspiam rei, alterius incrementum esse.  
 Ajunt vero Phoenicum hoc fuisse hieroglyphicum, per Draconem in orbem redactum, caudamque  
 suam devorantem, id exprimeret, ut appareat mundum ex seipso alii, & in se revolvi. Nam cum aeterna  
 sint elementa, neque corruptione, neque variatione per se ulla immutentur, corruptioni tamen ac  
 variationi subjecta videntur, ea parte qua specierum informationi admiscetur, vi tamen ipsa ince-  
 lumi permanente: quippe veluti ex literis nihil separatim significantibus apud Calchographos, si-  
 ve impressores librariorum dicere malimus, nomina componuntur, quae aliquid copulata significant,  
 mox utilitate ipsa, impressio notatoque libro, quantum usus venerit, recepta nomina ipsa, dictionesque  
 omnes corrumpuntur, soluta literarum incolumitati pristinae generique suo restituuntur, & in alterius for-  
 ma usum asservantur, ita corpora, quae Graeci συνυπάρχοντα, juniores Philosophi confusa, hoc est, in  
 unum conflata dicunt, cum advenerit exitus, diminutione ceperint, sigillatim in eadem ipsa res solvun-  
 tur elementa, aliarum itidem specierum compositioni obnoxia, ac semper exposita: quod ex nostris  
 optime Pacuvius intellexit, ad hoc luculentissimis illis versibus alludens:

*Quicquid est hoc, omnia format, alit,      Omniumque idem est pater, in diemque eadem  
 Auget, creat, sepelit, recipitque, in sese omnia,      Quae erunt de integro, atque eodem occidunt.*

Eodem respexit Lucretius, cum dixit:

*Denique, jam vult hoc circum superas, quod omne      Totum nativum mortali corpore constat:  
 Continet amplexu terrae procreat ex se      Nam quodcumque, alias ex se res auget alitque,  
 Omnia, quod quidam memonant, recipitque, perempta,      Diminui debet, recreari cum recipit res.*

Sed ne multa adeo congererent Aegyptii sacerdotes, neve longis discere volentes ambagibus im-  
 plicarent, cum omnem illi naturae obscuritatem manifeste adeo sibi cognitam profiterentur, & quasi  
 per manus proditam haereditariam disciplinam possiderent, uno contenti hieroglyphico mundi  
 conditionem omnem expressam esse voluerunt. Serpens igitur caudam depascitur suam, ut ge-  
 nerum



A nerum immortalitatem, qua rerum naturam Deus insignivit, ostendet: ut principium ad finem directum esse finemq; ad principium reflecti doceat. Nam, ut hoc apertius explicetur, ex plantis fructus, veluti ex principio finis, ex fructibus vero semen, in quo planta ipsa delitescit, atque ita principium ex fine. Sic nihil deniq; vivum intra mundum perit: sed eorum quæ nobis interire videntur, solæ mutantur species: de quibus Virgilius, nec morti esse locum dixit. Idem per atomos suos Democritus intellexit: quamvis vocabulum nonnulli contendunt improprie esse dictum, individua tamen corpora ea esse voluit, quæ disjuncta cum fuerint, neq; legantur, neq; internecionem recipiant, nec sectionibus dividantur, sed omne per ævum infinitam in se retineant soliditatem. Hoc illud idem figmentum est, quod Saturnum, quem pro tempore figurant, ajunt filios devorare solitum, Jovem vero interceptum, lapide supposito, quem Saturnus deglutierit. Terrestria porro huic varietati commutationique rerum plurimum obnoxia esse, per hujusmodi figmentum indicabant: animam vero, quæ per Jovem, ut Plotinus interpretatur, fingitur, immortalem esse. Sane Hesiodus, posteaquam prolem à Saturno & Rhea suscepiam enumeravit, illud statim adjecit:

Quid per  
1. m. De  
moctim.

B Καὶ τὸς ὑπὸ κατῆμιε κελὶ μίας, ὅτις ἐνας ὅτι  
Νηδὺ ἐξ ἰσθμῶν ἡντὸς ὤρεος γὰρ ἀπὸ Ἰουίον. *Atque hos degluti Saturnus, ut ille vel ille  
Divino ex utero genua ad materna veniret.*

Quod ita accipiuntur interpretes. Nascuntur è terra rerum species, & in terram mox recidunt: nam Rhea deflexus est, & corruptio mundi. Quæcumq; igitur tempus protulit, eadem tempus absumit: unde sacris quibusdam apud nos dicitur, pulverem esse hominem, & mox in pulverem reversum.

Non omittenda vero sunt de figura anguis, Mundum ipsum mira similitudine referentis, veteres Philoſophi quasi ludentes conscribere, ipsam rerum speciem universam non temere oculis omnium subjicientes. Siquidem pro corpore quod habet, gravissimum est animal, perinde ac terra, quæ ponderibus librata suis ob gravitatem insitam, in centrum undecunq; recidit. Præterea vero toto distent humi corpore, per terram reptit, unde etiam genus id nomen accipit, modo Serpens, modo reptile nuncupatum. Sed quoniam hujusmodi terræ hieroglyphicum loco suo copiosius tractabitur, ne nunc stylo universi speciem percurrenti moram aliquam interponam, omittetur. Est præterea lubricissimum, quemadmodum aqua, atq; inter serpendum pandos ac repandos undarum flexus imitatur: & apud fabularum scriptores Draco Euripus erat, qui Hesperidum hortis in insula positus tutelaris effingebatur, & amnes quosdam spiras circum terrarum orbem replicare instar anguim Socrates ait, Phædone, Quin etiam Hesiodus Echidnam ait dimidia sui parte Nympham, dimidio altero immanem Anguem, pro qua interpretes vapores accipiunt exhalantes à mari, neq; non omnem humoris vim. Nympha vero est ob id, quod subministrat nutrimentum. Serpens, propterea quod flumina tortuosis ambagibus feruntur, perinde ac Serpentium, uti dicebamus, corpora sinuosis plurimum flexibus obrepunt. Sed quod facit ad Nympham, quæ loci omnino genius est, occulta quippe vis illa, quæ graminibus & plantis vitam fovet, actumque subministrat, ignarus non sum, quosdam alios Draconem hortorum custodem pro radicibus arborum accepisse, quod tortusæ sint uti Serpentes, & in terram adaectæ, perinde ac Anguim genus in terræ visceribus plurimum delitescit: ita vero Draconis speciem hanc pomis operam præstare ut afferentur: radicibus enim aut cæcis, aut exsiccatis, poma etiam auferri necesse est. Aerium vero spiritum de quo latius in Basiliscæ significationibus dicitur inferius, per sibila, quæ vel ad audientium horrorem nonnulli eorum excitare solent, intelligimus. Squamæ vero, stellarum mundum ambientium varietatem, quæ ignes in supremo micant orbe, hieroglyphice significant: nam & hinnuleæ pellis varietatem, quam Pan gestare fertur, stellas ex maculis imitari, ait Probus. Eandem Libero patri attributam, idem significare tradit Eusebius libro de præpar. Evang. 1. ubi Osirim, Sirium, Liberum, Solem, & Phaneta, ex Homeri, Emolphi & Orphei versibus eundem esse diserit, de quo loco suo plura erunt inferius repetenda. Est & alia super hoc consideratio: quod anguis hyberno situ membrana corpori, præcipue autem oculis, obducta obcæcatur, verno vero tempore tuniculum pascit (id Græce *μυδραδὸν* est) ejusque succo oculos inungens, impedimentum illud exiit & acutissimo quo pollet visui restituitur, senectutemque ita singulis deponit annis, nudusq; propemodum vernat, & glabro corpore juvenis, ut Maro ait,

Serpenti ES  
Mundi sym  
pacta, ac  
confensum.

Encl. lib. 2.  
ab Homero  
Iliad. 3.

Lubrica



Leberida vero, membranam scilicet quam deponit, ita exiit, ut à capite orsus ad caudam replicet, interiore parte in exteriorem exteriore in interiorē versa, cute intus altera subnascente. At mundus quoque (de inferiori hoc mundo loquimur) hyemali tempore pruinoso, quodam non modo obcaecatus, sed undecunq; obductus fitu, annuo peractō spatio, Zephyris flare incipientibus, squalorem abijcit, quæq; rerum femina intus fuerant superioris defectu caloris obrusa occultaque, extra aperuntur excludunturque, ac senectute deposita, per vices iterum juvenescunt. Quinetiam quæcunque de Aguis renovatione traduntur, cum hac ipsa mundi nostri renovatione consensum habent: serunt enim Colubrum cum exuere incipit, ab oculis primum detrahi, ita ut occæcari videatur, tum caput exiit, glabrumq; hoc omnino ante quam reliquum corpus, apparet. Arbores quoque oculos primum exerunt, gemas alii vocant, germen alii: sed oculatio inde, insitionis genus, mox exfinuant flores, paulatimq; fructum fortis aperiant. Neque Vere tantum exiit Anguis, verum etiam Autumno, & pro locorum temporumq; conditione: æstate etiam, Aristotele hoc asserente: licet id abneget Plinius. Antiqui mundum etiam non vere tantum hæc facere, sed Æstate Autumnoq; omni, tot species tantosq; ortus, variosq; novatus aperire, pro regionum situ ac rerum natura conspiciamus.

### JUVENTUTI REDDITUS. CAP. III.

*F. bula su-  
p. r. homi-  
num reno-  
vacione.*

Sunt vero qui per Anguem & Leberida hieroglyphicōs hominem ostendant juventuti redditum si vel de morbo aut alia aliqua lue aut calamitate squalorem atq; maciem depofuerit, sitque demum habitior atq; validior factus. Libet vero fabellam super hujusmodi renovatione, ex Nicandro & ejus interpretibus recitare. Mortales enim ajunt impetrasse olim à Diis multis precibus ut perpetuo juventutis munere donarentur, atq; ita nunquam in posterum senio contabescerent, sed quantum unicuiq; vivere permillum esset, integris viribus & florenti semper ætate, vegeti perseverarent. Hanc igitur simulac benignitate Jovis accepissent, imperitos adeo rerum fuisse, ut eam Asino vectandam commendarint, hunc vero siti confectum ad fontem quandam pervenisse, in quo Serpens locustos stativam habebat custodiam: cumq; inde bibere tentasset, à Serpente prohibitum, neque alia conditione bibendi facultatem illi factam, quam ut id omne quod vehebat onus, Angui mercedis nomine concessisset: ex eo inde tempore omnes Angues senectute singulis annis abjecta juvenescere, homines vero senio confectos emarcescere, ac stoliditatis pœnas luere, quod juventutem tanto expetitam studio negligenter custodissent. Hinc illa Tibulli querimonia:

*Anguibus exiitur tenui cum pelle vetustas,  
Cui non angusta condicione sumus?*

Sed quoniam in fabularum figmentis varii admodum Græci sunt easq; unusquisque suo ex commo- do, & ut adibuerit comminiscitur, ferunt alii Promethea cum cœlestem ignem furatus esset, eumq; mortalibus communicasset, nullam illos accepti muneris gratiam Prometheo retulisse: quod cum Jupiter approbasset, pharmacum hominibus, quo senectutem amolirentur, elargitus est, quod donum Asino vectandum illi destinarint, atq; illa mox subsecuta de Asini imprudentia, de Serpentis stultitia, de commutatione, quæ superius enarrata sunt. Meminit hujus fabulæ Sophocles, *in Ois*. Quoniam vero Asinus ille & sitim eo contulerat, factum est, ut ex pacto Serpens eam quoq; sibi vendideret, hinc supra modum illos stitulositate plerique eorum pertentare solent quos momorderint: de quo tamen plura suo loco dicuntur, ubi Dipfadis significata recensemus.

### TEMPUS. CAP. IV.

*Quomodo  
serpens  
i. mpus si-  
gnet ac im-  
mortalitas-  
tem.*

*Georg. lib. 2.*

*Osia lib. 10  
etiam.*

ERat autem aliud hieroglyphicum Serpentis, caudam suam sub guttur attractam occultantis: etque species in Saturni dextera manu statuebatur, quem pro annuo circuitu, pro tempore, pro ætate, pro immortalitate poni ex multorum scriptis accepimus. De anno apertissime Maro:

*Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

Quod vero Serpentis temporis signum esset, causam Cyrillus hanc subjicit, quod in longitudinem porrigitur, & multis complicatur spiris, quæ sunt multæ dierum annorumq; series, taciteque profertur, nullo edito strepitu, unde Poeta non incelebris dixit,

*Labitur osculte, fallitque volubilis ætas*

Verum



**A** Verum ea quoque causa esse potest suppressæ caudæ, quod tempus aut à præterito, aut à præfenti, aut à futuro consideratur, quæ omnia incerta nobis omnino sunt: præteritum siquidem intueri minime possumus, & cum principio caret, neque mente quidem concipitur, futurum longe minus, quia nondum est, & finis ejus prorsus incognita, qua de Horatius tertio Carminum, od. 29.

*Prudens futuri temporis exitum,  
Caliginosa nocte premit Deus.*

Præfens vero cum sit instabile, velocissimeque transcurrat, vix percipi potest: veluti, si digitum in defluentem aquam intingamus, discernere non possumus, utrum in præterita, an in futura, an in præfenti: quia præterita jam elapsa, futura nondum adhæsit, præfens puncto ipso statim elabitur: quæ cum omnia cognitioni nostræ subducantur, Ægyptii forsitan pro hieroglyphico hujusmodi caudam ita reduci occultarique voluerunt.

CALAMITAS. CAP. V.

**B** Habet & vocabulum ipsum temporis, hieroglyphicam omnino significationem, ut hoc obiter attingamus, & à perniciofa Saturni vi non admodum alienam. Nam Poetæ *tempus edax rerum* esse dicunt. Neque Latini tantum, verum etiam Syri & Hebræi dictionem Tempus, pro calamitosa rerum statu ponere consueverunt. Nam, *Et erit tempus eorum in seculum*, 31. Psalmo legis, & hujusmodi passim multa. Quod vero hic *in seculum* legitur, interpretes de calamitatibus dictum volunt, quæ post neglectum Christum perpetuo erant Judæos oppressura.

MUNDI MOLES. CAP. VI.

**S**unt qui aliam etiam picturam simulacrumve mundi fuisse dicant, ut scilicet intra circulum æreum <sup>Elementaria orbis figura.</sup> Serpentis effigiem accipitrino capite insignem circumducerent, ad  $\odot$  propemodum literæ simili- <sup>ta.</sup> tudinem: ære quippe ignem referente, circulo magnitudinem & formam orbis indicante, Serpente, bonum dæmonem, cujus merito ac beneficio omnia alantur, vigeant, ac perennent. Sed non elementarem hunc orbem tantum ex hieroglyphico hujusmodi colligimus, verum etiam & cælum ipsum, quod sub Jani sigmento fabularum involucris occultatur. Janum enim ab eundo dictum peritiores asserunt. Mundus itaque initium ex se faciens, cum in se revertatur, figuræ ipsius, quæ <sup>Macrob. lib. 1. c. 18.</sup> postea est, rationem ostendere videtur.

ANNUS. CAP. VII.

**C**æterum, quia Janus ubique anni dominus decantatur, quem à circuitu vocatum dicebamus, eundemque ac Apollinem intelligunt, veluti Dianam Janam olim appellatam asfirmant, quos utriusque anni arbitros esse testatur antiquitas, præcipue vero Virgilius cum dicit,

*Vos o clarissima mundi  
Lumina, labentem cælo qua ducitis annum,  
Liber & alma Ceres.*

*Georg. lib. 2*

Nam & Lucretius serpente Solem dixit, ut annum instruat:

*Annua Sol in quo contundit tempora Serpens.*

*Macrob. lib. 1. c. 18.*

Quod vero Maro Liberum & Cererem huc inculcarit, doctissime factum: utpote qui apud Orpheum legerat,

*Ἡλιον ὃν διόουσον ἐπίκλησιν καλέουσι.*

**D** & apud Euripidem & Aristotelem eundem Solem & Bacchum esse de quo nos apertius alibi. Dionysium eundem & Bacchum, & Liberum & Solem, aut igneam Solis vim, non ex Orpheo tantum, sed & Euripide, Aristotele & Eusebio Macrobioque citatis indicavimus: ubi apud eundem Virgilium ex antiquis codicibus legendum ostendimus, *Qui ducitis annum*, scilicet Liber & alma Ceres: licet, *qua lumina*, idem sit.

ÆOLUS. CAP. VIII.

**I**psa autem macularum varietas, & anni significatum in Serpente detectum, id in memoriam adducit, quod Æolus ejusdem varietatis gratia vetustas tempestatibus præpositum effinxit, per quem annum ipsum intelligebant: eaque de causa Hippotæ filium dixere, quod celeri cursu tempus elabatur. Equis enim hoc à natura tributum, ut nascantur ad cursum, quod loco suo disputatum est.

Y

Habe-



Habere vero Æolum filios XII. ait Homerus, mares sex, fœminas totidem. Menses ii sunt, ait Phurno-  
 tus, quorum qui fœcundi fruges omnium usui reponunt, fœminæ dicantur : qui vero steriles sunt,  
 mares habeantur. Apud alios longe secus invenio, ex religione quippe veterum menses singulos  
 ita Diis singulis adscriptos, ut Januario Juno præficiatur, Februario Neptunus, Martio Minerva,  
 Aprili Venus, Majo Apollo, Junio Mercurius, Julio Jupiter, Augusto Ceres, Septembri Vulcanus,  
 Octobri Mars, Novembri Diana, Vesta Decembri. Apud celeberrimum Cardinalem Hippolytum  
 Medicem cippum Romæ vidi marmoreum, obrotundum, in quo duodecim hæc numina pulcherri-  
 mo opere circumsculpta sunt : qui quidem cippus indicans Augusti octaviani mensam illam, qua de  
 Suetonius mentionem facit, consueffe eum & sodales amiciores ad duodenarium usque numerum  
 deorum habitu cœnare, & δωδεκαθεῶν convivium celebrare : ad ejus certe rei argumentum mi-  
 rifice confirmatus est. Nam & figura, quæ pro Apolline sculpta est, Augusti ipsius faciem totam re-  
 fert & exscibit, quod & in plerisque aliis ejus Dei statuis factum observavimus. Sed nos ad Anguem  
 nostrum revertamur, quo super animadverti plerosque figuram ejus in orbem circumduci, & cau-  
 dam nunc occultantis, nunc admordentis, nunc depascentis, confundere, quod ita distinguendum  
 est. Quæcunque de mundi anniq; varietate reciprocationeque dicta sunt, ea per caudæ morsum in-  
 telliguntur. Sedenim, cum æternitatem, sive, ut nonnulli malunt, ævum seculumve significabant,  
 Serpentem pingebant cauda tantum sub corpus, ita ut delitesceret, reducta : sic enim circuitus illi  
 perpetuus intelligebatur.

Sueton. in  
 Augusto,  
 cap. 70.

BASILISCUS. CAP. IX.

Basilisci de-  
 scriptio.

ANguis autem hujus species ea erat, quem URABON Ægyptii, Basilicum Græci vocant. Animæ  
 id duodecim non amplius digitorum magnitudine, ut authores nostri prodidere, candida in  
 capite macula, & quodam diademate, unde regium illi nomen, insigni : sive Basiliscus ea de causa  
 dictus fuerit, quod ejus aspectum reliqua Serpentium genera vereantur. Hic sane flexu haudqua-  
 quam multiplici corpus impellit quod reliquæ faciunt Serpentes, sed celsus & erectus à medio in-  
 dit : quæ omnia cum Nicandri versibus his optime quadrant,

Hæc à Plin.  
 lib. 8. c. 21.

Τεκμαίρεθ δὲ ὄλυγον μὲν, αἰτῆρ ποσφερέσαν τὸν ἀδῶν  
 Ἐρπυσῶν βασιλῆα, τὸ μὲν δέμας ὄζυκα θένον  
 Ἐανθὸς ἐπὶ τρεῖα δῶρα φέρον μῆκρον τε, καὶ ἰσὺν  
 Οὐκ ἀρα δὴ κείνη σπασσάχθια κνώδαλα γαίης  
 Ἰσχυλὴ μιμῶσιν ὄτ' ἐς νομόν ἢ ἐκὼν ἄλλω.

Surrectum vero pectus in animali hujusmodi, in obeliscis & aliis Æ-  
 gyptiorum monumentis animadvertas : præcipue vero in numo quo-  
 dam qui Fabatio cusus est, in cujus altera facie caput est cum spolio  
 capræ, ab occipitio vasculum in modii formulam, quale etiam in An-  
 tonini Augusti. & aliorum quorundam numis cernere est : nusquam  
 vero frequentius, quam in Ægyptiaca Bembi tabula ex ære, tibi Basi-  
 lisci hujus forma sæpe conspicitur, capite alias accipitrino, alias hu-  
 mano, alias, ut hic figuravimus. Quod vero Albertus de ovo Galli gal-  
 linacei fimo obruto tradit, quodq; inde Basiliscus enascatur, sitque  
 figura ejus omnino Gallo similis, cauda tamen serpentina, fabulosum  
 indicant peritiores.



Sibylus Ba-  
 silisci.

ÆTERNITAS. CAP. X.  
 SEdenim cur Ægyptii per hoc potius colubri genus, quam per aliud quodquam seculum, æterni-  
 tatemve significarent, causa erat, quod inter serpentium genera hoc unum interfici vi non potest,  
 si Horo Niliaico hieroglyphicæ nonnullorum auctori fides adhibenda est: quinimo tanta huic uni-  
 vis est, ut animalia reliqua solo sibilo fuget, quo audito ferunt omnes avium cantus coerceri, fruti-  
 cesq; & herbas non ullo morfu, sed quasi aspectu solo enecari. Archelaus tradit, ut apud Aethi-  
 opum



**A** num habetur, veterinum olim iumentum in Africæ solitudine quadam defecisse, ad cuius cadaver Serpentes plurimæ ventitarint, ut ejus viscera depascerentur, interim Basilisci auditio sibilu omnes profugisse, aut in sabulum sese abdidisse: progressum vero Basiliscum, per otium sine cuiusquam tumultu quantum apeterat estasse, cumq; satur jam abiret, iterum edidisse sibilum, quod indicium fecerat serpentibus aliis ad escam tutum patere redditum, atque ita eas oblatam prædam repetiisse.

## CALUMNIIS AFFLICTUS. CAP. XI.

**H**æc igitur Basilisci vis, quæ sine morfu perniciofa sit, argumentum hieroglyphici dedit Aegyptiis sacerdotibus, ut si hominem à calumniatoribus male acceptum, & mortiferis delationibus afflictatum significare vellent, Basiliscum apponerent: non enim alia ratione calumniatores homines conficiunt, quam faciat Basiliscus: clam si quidem illi Principum auribus infusurrant, nullo palam morfu infixu, quo diluendi ansa præripiatur, atque ita pleriq; falso delati, extrema quæque pertulere. Sed ne talem ac tantam Basilisco vim inesse quispiam admiretur, Thebiorum natio pestifera adeo fuit, ut vel solus oris eorum halitus exceptus, interimendi vim habuerit, illorumq; præsentia non animalibus tantum, verum etiam fatis noxiam fuisse: de quibus hæc & alia secundo Symposiorum Didymus.

## OCULI DIVUM. CAP. XII.

**I**nea tamen religione Basiliscus habitus apud Aegyptios, ut ex auro dedicaretur. Caput autem illi accipitrinum faciebant, oculosq; eo artificio concinnabant, ut & claudi & aperiri possent. Hunc simul atque oculis adaperitis præferabant, univèrsa Aegyptus læticia atq; hilaritate perfundebatur: perinde ac si deorum oculi eos aspicerent, opemque præsentem omnibus pollicerentur: in luce igitur & in propatulo omnes esse, risui & jocis atque conviviis dare operam. Quod si clausis eum oculis extulissent, ibi tum omnia mœrore luctuq; confundi, aversos & iratos esse Deos existimari, abdere se omnes in tenebras, & obscura penetralia, miserabilique deploratione per se quemque niti, ut Deorum indignationem quacumque possent ratione mitigarent. Non fuit horum ignarus Philon: & Epies quidam divinorum interpres apud Aegyptios nominatissimus, rem memoriæ prodidit. Figura autem hæc ita habetur in Bembæa tabula. Ut vero hæc magis innotescant, Jovem Aegyptii, autore Plutarcho, spiritum esse dicunt, spiritus nulli animalium vehementior, quam Basilisco: ideoque nulli magis divinitatis symbolum quadrat.



Basilisci oculi clausi & aperti. quid.

## SPIRITUS. CAP. XIII.

**D**orro Anguis apud eos hieroglyphicum est spiritus illius, qui per universam mundi molem distatur. Anaxagoras quoq; quatuor elementis constitutis, quæ per Anguem significari statim initio diximus, rectorem adjungit, sive spiritum, sive Deum, sive mentem, ut Probus interpretatur, per quem hæc quatuor regantur: quod Virgilius etiam nullius ignarus disciplinæ affirmat dicens,

*Principio celum ac terras, camposque liquentes,  
Lucentemque globum Luna, Titaniaque astra  
Spiritus intus alit, rotamque infusa per artus  
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Quem enim Anaxagoras is spiritum & mentem dixit M. Tullius, Platonis sententiam, quæ in libro de Anima e: secutus. principio terram ait sitam in media mundi parte, circumfusam esse hæc animabili spirabilique natura, cui nomen aer.

Anaxagora de spiritu o-  
pinio cui as-  
sentitur  
Virgil. Æ-  
neid. lib. 6.



*Æoli pila  
quid.*

**N**on imperite igitur, qui Æoli pilas cavant, solent illis in convexo Draconem superinducere, ex cuius ore circa medium sito spiritalis illa fistula promineat, quæ ventum proflet. Sunt vero pilæ huiusmodi æreæ, cavæque, in quas per angustissimum punctum humore instillato, ubi ad ignem admotæ conalescere cœperint & effervesce, spiritum vehementem admodum effiant: humor siquidem caloris vi rarefactus, magnam aeris copiam generat, cuius cum minime capax sit ea concavitas, vehementi eo impetu cogitur erumpere, cui si tantillum argenti vivi infundatur, ex discordia, quam materia hæc habet cum calore, inquietata magis aqua vehementius exorabitur.

## SUCCESSUS VOTI. CAP. XV.

*Sanguis Basilisci in  
quanto  
pretio  
olim.*

**T**antam vero affinitatis cum Diis existimationem Basiliscus assecutus est, ut ausi olim sint mortales, sanguinem ejus difficillime conquistum curiosus aservare, Saturni eum sanguinem appellantes: quem si penes se haberent, existimabant & successus petitionum à Potestatibus, & à Diis etiam precum, morborum remedia, beneficiorumque munera largius impetrari. Astrologi quoque Basilisco tantum tribuunt, ut stellam in corde Leonis sitam Basiliscum appellent, quam Chaldaei rerum cœlestium reginam & dominam existimarunt, quod in Arati commentariis tradit Theon, ubi de Leone agitur: neque dissimulat Nicephorus in Astrolabii structura. Quamquam in universon esse Anguibus vim magicam ad gratiam sibi comparandam, Magi tradidere, quibus persuasum est primum uniuscujusque Draconis spondylum, mulcere aditus Potestatum, Principumque gratiam conciliare.

## SACERDOTIUM SACROSANCTUM. CAP. XVI.

**Q**ui vero Serpens sacerdotum insigne oblongo obvolutus pileo gestabatur, monumento erat, ut si quis contra Reges (penes enim sacerdotes Ægyptiorum erat imperium) auderet insultare, sciret se in venenatos morsus incursum.

## ORIS VIS. CAP. XVII.

*Enil. lib. 2.  
Lib. 1. de na-  
tur. anim.*

**H**ac autem de causa oris vim describere si voluissent, colubri signum protulissent: nam coluber nullis aliis corporis partibus validior, quam ore ipso. Celebratum est illud ad horrorem incutiendum, *δὴ γυα ἀσπίδος*, cum virulentum & immedicabile vulnus aliquod intelligi volumus. Aspidum ictui vel nullum, vel rarum admodum remedium inveniri, tradit Ælianus: compertumque est plerumque ictu laesos huiusmodi, vix horis quatuor superuisse. Et Moses cantico, venenum Aspidum ait insanabile. Eustathius, eam morsu lethiferum somnum superinducere: Plinius ea percussos torpore & somno necari tradit, eaque de causa fomiculosa dicitur à Sisenna. Color aspidis plurimum niger, quibusdam & cineritius, quandoque etiam pellis Aspidis fulva deprehensa est, quam ego in agro Bellunensi vidisse olim reminiscor.

## FUROR IMPLACABILIS. CAP. XVIII.

**I**nplacabilem furem Divinæ literæ per Serpentem voluminibus implicatum, & qui *linguis micæ ore trifurcæ* (ita enim describitur irritatus) expressere, Psal. 58. legas: *Furor eorum Serpentini furoris instar, & sicut Aspis*, & quæ sequuntur. Incomparabilis porro est in Angue furor, qui simulac læsum sensit, ita velana furit, ut numquam abssit, donec venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur, ut ait Euthymius. Et quoniam feritate, ut dictum, reliquas colubras Aspides antecedunt,posito genere, ad istius accedit speciem, quæ maxime fit intractabilis.

## CONTUMACIA. CAP. XIX.

*Serpentium  
vera excan-  
tatio.*

**I**nde aliud desumitur hieroglyphicum: sunt enim qui contumacem hominem, nulli quippe legum imperio, vel magistratum edicto, potentiorumve iussis parere destinatum, per Aspidem aurem obturantem, apte significari tradant: ea siquidem ubi se excantationibus accersiri senserit, statim una in terram aure defossa, alteram cauda obturat, ne carminum vocem exaudiat: atque in Magorum conatum eludit. Veram autem esse Serpentium excantationem, manifestissime constat.

Psalmo



Psalmo 58. ubi David ita canit: Furor eorum par est Anguim furari, sicut Aspidis surda, & obturantis aures suas, qua vocem rite quantumlibet excantantium non exaudiat.

DE VIPERA.

UXOR INIMICA MARITO. CAP. XX.

A Dhæc Vipera suo quodam ingenio prædita, extra ordinem sua habet hieroglyphica, quorum illud præcipuum, quod mulierem, quæ virum oderit suum, cui mortem etiam intenet, neque nisi coitus tantum gratia blandiatur, per pictam Viperam Sacerdotes illi intelligebant: ea siquidem, ut apud Horum est, cum mari copulatur, caput ejus ori insertat suo, atque in concubitus confictu nimia voluptatis vi superata, capite maris mordicus amputato, maritum extinguit. Id cum Plinius, Nicander, Galenus, tum plerique alii auctores gravissimi tradunt, miror Albertum unum è nostris, conatum eos redarguere, qui dicant Viperam in coitu mariti caput amputare. Sed missa faciam quæ Galenus & alii scripsere in hanc sententiam, Nicandri verò carmina tam pulchra minime prætermittenda fuerint:

Vipera generativa.

Plin lib. 10. cap. 62.

Μη σὺ γ' εὖ τελοῦσαι τὴν οὐκ ὀφθαλμὸν πεφυγῶς  
Περικλῆος ἔχης ἦνσι τὴν ψολάσιν ἔχιδνης,  
Ἦνικα θορυμῶν ἔχιν Ἰσολερω κωδόντι  
Θεοῦ ἀμύξ ἐμφύσει καὶ ἄπικον ὄμεινεν,  
Οἱ ἦ πατρὸς λῶσιν μετὶ τῶν αὐτῶν τῶν τοῖ,

Τεινὸν μοι ἔχινες ὄντι Δία μητρὸς ἀρεμῆν,  
Γαστὴρ ἀναβρώσων τις ἀμύξορες ἐξέπεινοντο,  
Οἷη γδ βαρὺν ὑποκύματα ποῖος κατ' ὕλην  
Ἐπὶ τοῖσι ὕφιος λεπτὴν ἴαλπυσι γράθλην.

Quæ sic Latine traduci possint:

Dii meliora velint, ne tunc incautus aperitis  
In triviis, cum forte acres mas luridus atra  
Conjugis evasit dentes, & fulminis ictum,

Complexu in dulci abscondit: mox damna parentis  
Extinctifera progenies ulciscitur, aluo  
Materna abrosa, & catuli sine matre oriuntur:

C Vipera occurat generi, namq; illa in aperta  
Excipiens semen fauces, caput inde mariti

Sola etenim hæc animat fatum, reliqua ova colubra  
Per sylvam excluduntq; foventq; in cortice prolem.

Neque me præterit, esse qui alia quædam Serpentium genera animal parere tradant, qua super historia multum diuque annis proximè elapsis decertatum est inter literatos viros, hæc adhuc sub iudice desilita, cum etiam fuerint ætate nostra, qui has quas putamus Viperas, utriusque sexus electas, vivariis includere easque aliorum instar animalium conjugii, concipere, parere, educareque fetus suos experimento compererint, nullo parentum desiderio, Quod si quis in hoc negotio plura deponat, ab editis jam eorum libris desumendum fuerit. Sane alia etiam est Vipera generatio: siquidem Aristoteles, ut apud interpretem Theocriti legitur, lacertam exsiccatam ait in Viperam mutari.

FILII CONSPIRANTES IN MATREM. CAP. XXI.

UT vero reliqua prosequamur, filios adversus matrem conspirantes, Aegyptii Sacerdotes per eundem Viperæ hieroglyphicum notabant. Quod si quis hominum tantum sceleris admittisset, articulatum eum acutis calamis castrum, jubebant vivum super spinarum cervos comburi: merito maximum omnium scelus indicantes, ei mortem inferre, a quo vitam quis accepisset. Hac vero de causa dicunt Viperas in parricidæ culeum includi solitas: nam Simia, quam Juvenalis innoxiam appellavit, filios, ut in Cynocephalo diximus, suos necare ipsa solet. Canis verò & Gallus non alia de causa creditur cum his idem subire supplicium, nisi quia & ipsi impie facere videntur, quod & forores & matres ipsas saliant. Sed quod ad parricidium attinet, non id tantum animantium genus eo scelere contaminatur, verum etiam phalangia, ut & Polypos & fluviales Equos taceam, eadem prorsus impietate notata sunt. hæc enim fetu numerofo, quippe supra triginta interdum, edita, matrem, quam primum orta fuerint interimunt, nonnumquam & patrem, eo Viperis immaniora, quo illa nascendi necessitate, hæc jam nata, nulla cogente causa, nullo invitante commodo, sponte se par-

Parricide supplicium.



se parricidio polluunt. Non præteribo quod Theophrastus negat, Viperarum uterum à catulis suis exedi: namque author ille summæ inter Græcos diligentia, aliam in his maternæ mortis causam comminiscitur, dirumpi quidem sponte uterum, utpote qui angustus adeo sit, ut tam numerosæ prolis multitudinem & incrementum capere non possit. Idem marinis acubus evenire, quas admodum tenues, prolis multitudo dirumpi cogat. Quod vero Dominus Phariseos Viperarum sobolem vocat, ad Davidicum illud spectare dicit Irenæus, *Alienari sunt peccatores ab utero, ita eis secundum similitudinem Serpentis*: sive quia venenum semper sub lingua promptissimum habebant, sive quia erga patrem in grati abdicatique sunt, nullam hæreditatis partem affecti, sive ob perplexas vias, quas à recto itinere declinantes occupabant, per ambages & devia progredientes,

## ABORTUS. CAP. XXII.

*Vipera mulieris pedi supposita, quid.*

PRæter hæc, sunt è junioribus, qui abortivum incommodum per Vipera mulieris pedi suppositam significare commenti sint, quod apud veteres nusquam memini me legere. Figmenti tamen hujus causam minus explodendam, apud Plinium olfecisse videor: siquidem is traditum ait à veteribus, mulierem prægnantem si Vipera sive studio, sive incuria transcenderit, abortum facere, usque adeo Vipera venenum vel afflatu solo, in humani generis perniciem grassatur, fitque ita Serpens ea humanorum partuum fascinatrix, quod illi rite parere non liceat: ut minus jam miremur venenum illud quo Scythæ sagittas suas inficere consueverunt, irremediabili scelere, non aliis libentius rebus confici solitum, quam Viperina sanie, & humano admixto sanguine.

## VULNUS AMATORIIUM. CAP. XXIII.

*Viperinus morsus quid in Divinis.*

Quæ vero de morsu Vipera ponuntur à Platone, Symposio, ejus scilicet istu tactos aperisse nolle quid patiantur, nisi iis qui similiter ægrotant, mysticè, uti suus est mos, posita sunt. Sed cur Platoni veritatis discipulo innitatur, cum liceat homini Christiano Platonis ipsius præceptores, Prophetas quippe & sapientes alios legere, qui de mundo, & iis quæ supra mundum sunt, accuratissimè disseruere, cælestisque numinis afflatu cognita, mortalium ingenii cognoscenda proposuere, perque eos ad eam, quæ vera & sola est, sapientiam pervenire? In hoc autem Serpente, factioribus interim interpretationibus omisissis, nostræ nobis imbecillitatis conscii humaniora quædam prosequamur: quæ si non ad divinorum intelligentiam, ad mores certè, & vitæ nostræ conditionem facere videbuntur, eamque ingrediemur viam, quam admirandus Philo primus omnium videtur aperuisse. Dicemus igitur, viperinum hunc morsum spectare nimirum ad illud amatorii mollitudinis hieroglyphicum, quod apud nos in Divinis literis per Serpentem, qui Adamum decepit, probatissimorum authorum opinione designatur: in illo enim, ut hi tradiderunt, voluptatis, nequitia, mollitiæque fomes delitescit. Picturata siquidem cutis, ut cum ipso Philone & aliis hæc per hoc latius philosophemur, varias delicatasque rerum omnium illecebras præ se ferre videtur. Et mortale genus nulla re magis afficitur, quam rerum varietate (cujus experimentum est in pictura, in fictili fabrilique arte qualibet) aliqua ratione digesta. Quin & natura ipsa varietate ad lasciviam usque delectari videtur. Plantarum enim diversicolores flores, varia germina, speciosi fructus, & alia atque alia forma, hisque atque illis coloribus intincti, ac multi formes animalium facies, vilium oblectant: quibus si supra modum delectemur in eorum admirationem nimium illecti, inhæsitare videmur luto, pronique in faciem procumbere, totoque ventre serpere: terreno enim velsimur cibo, posthabito cælesti, nam ut optimè ait Horatius:

*Insani sapiens nomen senat, æquus iniqui,  
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.*

Illo prius apte proposito subsequitur:

*Quid censes munera terre?  
Quo spectanda modo, quo sensu credis & ore?*

*Epist. lib. i.  
\*pist. 6.*



**A** Adhæc comestiones & ebrietates, gulæ ministræ, non minus quam mordax Serpens miseris artus animæ depascuntur. Reptatus autem nihil aliud significat, quam animum qui attoli nequeat in sublimi, semperq; dejectus ad sola terræ commoda prorepat. Spiræ conglobataque volumina, mille, quibus assidue decipimur, laqueos intento veluti digito demonstrant. Latebris gaudet coluber, latebris & voluptas impura, quæ veluti in frobibus & hiatibus, in humanis quoque sensibus occultatur. Hinc apud Græcos Mychæ Veneris sacra, quæ in specubus & abditissimis penetralibus celebrantur: *μυχῆς* enim secessus est. Et scitè Lyfiteles Plautinus adolescens Trinummo, amorem lascivum latebricolarum hominum corruptorem vocat. Super hoc Tertullianus ita declamat: *Abcondat itaque se Serpens quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitat, in caca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat, nec semel torus lucifuga bestia, hæc ille.* Venenosa vero sibila veluti subrepentis ipsius mali blandimenta quædam sunt: nam boni specie decipimur. Adhæc futurum dicit Deus, ut homo Serpentis caput observet, ille hominis cal-  
*Voluptatū & Viperini morsus cō. Gementia.*  
*Gen. cap. 3.*

**B** luptatis usu indicat, cum ejus præcipua vis nostræ insideat cogitationi. Per calcè vero, animæ pedem intelligimus, quæ illa est portio despiciatissima, qua materiæ, uti solo inittimur, alitrix inquam, & cibaria potestas, libidinis irritamentum, & voluptariæ totius lasciviæ magistra. Est hæc inquam, Philonis sententia, cui D. Ambrosius è nostris libenter accedit, & ex Serpentis specie figuram delectationis intelligi asseverat in Hexamero, & ad Sabinum epistola. Nam & Origenes reptile venenatum in nobis esse dicit, cum mulierem a sepeimus ad concupiscendum eam. Atque ut in ea penetralia & sacra adyta subeamus, unde sublimiora quædam ad puriorè aërem patefactis hiulcæ terræ foribus profepamus: nonne idem Origenes de immaculato Virginis utero, & ortus vitæq; ejus integritate perpetua loquens, eam ait neq; Serpentis persuasione deceptam, neq; venenosis ejus flatibus infectam? Cyprianus de Serpente eodem contra Novatianum: *Plus metuendus est, inquit, & cavendus inimicus cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens oculis accessibus serpit, unde & nomen Serpentis: ea ejus est semper astutia, ea est circumveniendi hominis caca & latebrosa fallacia, sic à principio statim mundi fellit, & verbis mendacibus blandiens rudes animas incauta credulitate decipit.*

## DE SYRTIBUS ANGUIPEDIBUS. CAP. XXIV.

**F**ABULAM Libycam ponit D. Chrysostomus oratione 5. ab istiuscæmodi commento non admodum alienam. Esse quidem in Lybia ferarum genus ex promiscuo bestiarum plurium, & diversorum generum coitu progenitum: id autem immane admodum, sævumque & ferocissimum circa Syrtis plurimum versari: cibi gratia tum feras reliquas venatu, tum humanum pastum conquirere quam avidissime. Eius vero monstri naturam faciemque forma esse hujusmodi conspicuam: corpus quidem muliebre, idque admodum formosum, lafcive tumentes papillæ, totumque pectus ac cervix pulcherrima, colore cutis nitidissimo, mira ab ejus oculis profilliebat hilaritas, quæ intuentem quemlibet in amorem procliviter alliceret: reliquum autem corporis horridum, & squamarum scabritie asperum & intractabile, inferne demum in longum anguem desinebat, cujus caput in extrema parte positum acre admodum esset & mordacissimum, alis non esse præditum, sed sphyngis instar factum, neque tamen eloqui, ut illæ faciunt, sed Draconum in morem sibilum tantum edere acutissimum. Feras has tota Lybia plurimas, atque omnium quæ quot & qualibuscumq; pedibus ingrediantur velocissimas, ut nemo esset tam alacer, qui earum insultus effugisse gloriari posset. Animalia itaque reliqua quotquot nactæ fuerint, pernicitate sua fretæ ac robore, per vim assequuntur, & opprimunt, sed unum hominem dolo tantum blanditiisq; adoriuntur, & superat: ut pote, quæ pectoribus tam amabilibus ostentatis, spectatores uti præstigiis implicant, fallacissimosq; amoris laqueos intentant, conciliandis congressibus admodum idoneæ: in hos quippe cum inciderint, nullum cient tumultum, nihil hostile minantur, immotæ vero manent, oculis interim ad terram magna cum modestia dejectis, instar speciosæ lepidæque sæminæ ad colloquii congressum invitant, lenociniisque omnibus alliciunt: simulac vero quis, ut voluptuosorum hominū imprudentia est, cominus accesserit, extemplo eum arripiunt, injectis quas aduncis unguibus præditas habent manibus, tamdiu prius  
*Fabula de Vipera ex D. Chrys.*



Hercules  
Libycus.

occultatis, quoad prædæ cupiundæ oblata sit occasio: insurgit extemplo Serpens à tergo aggressus, apprehensumque lethali morsu transfigit, venenoque immisso necat e vestigio, mox cadaver miserabile Serpens, & feræ ipsæ latantes una socialiter depascuntur. Ad hæc addit, Herculem Libycum iter ea facientem in eas incidisse, quas ubi primum è longinquo prospexisset, cursum arripuerit pernicissimum: illæ autem cum diu nec ignaviter subssecutæ, prædam tamen eam nancisci minime potuissent; indignatione succensæ omnem in se crudelitatem convertere, ora pectoraque unaquæque sua foedissime dilacerata discerpentes. Ita monitos esse nos debere, ut more Herculis, improbitatem atque lasciviam tantummodo fugiendo superemus. Quod quidem figmentum, ex aurea illi Ecclesiastici sententia mihi desumptum videtur. *Peccatum tamquam Colubrum fugiendum*, paratum id enim esse unumquemque ad se accedentem, haud gravate suscipere.

## FAUNUS ANGUIS. CAP. XXV.

Eadem habetur  
in lib. de  
Myrto.

**H**UIC perquam simile est quod apud antiquiores Græcos super Hecate proditum (eam alii Semelem vocant) quæ tamdiu Fauni patris nequitia restitit & oblutata est, etiam virga myrta verberata, & vino oppressa: donec ille in Anguem transformatus, filiam spiris undique colligatam improbitati suæ parere compulerit. Cujus fabulæ apud veteres indicia fuerunt, ab Hecates tempore longè summuta myrtus, vitis supra caput signi ejus extensa, vinumque quod proprio nuncupatione non licebat, sub lactis vocabulo inferri solitum: quippe ibidem passim obrepunt innoti Serpentes. Quæ quidem fabula facile ostendit eadem divinarum humanarumque rerum disciplinam universo mortalium generi divinitus in usu habitam, sed ab aliis nullo verborum aut rerum involucre, ab aliis sensu mystico, ab aliis per symbola, ab aliis per similitudines, per fabulas ab aliis memoriæ scriptorum diligentia commendatam, aut à patribus acceptam, posteris per manus prodatam: lacessit enim assidue humanum genus, quod & Apostolus Paulus apud Deum queritur: *Faunus pater naturæ stimulis importunus*, id est, originis ipsius compages coagmentatioque, & modo myrto, hoc est, imaginatione Veneris: modo vino, hoc est, lætitiæ & hilaritate: modo spiris ingentibus, hoc est, multiplici voluptatis ipsius varietate suggesta, nos oppugnat, perque eam demum exuperat. Atque hæc illa patris domus, cujus oblivisci nos debere, admonet Propheta.

SENSUS A VOLUPTATE, MENS A  
SENSU DECEPTA. CAP. XXVI.Lapsus viri  
& mulieris.

**M**ULIERIS porro figura apud Divinarum literarum interpretes, pro sensu accipitur, viri vero pro mente: unde quidam Adam, terrenam mentem interpretati sunt. Hic igitur sive Faunus, sive, ut nostri rectius, Serpens accingit se primum ad expugnandam mentem, subvertendumque intellectum. Hic sua virtute opibusque fretus, hostem repellit acerrimè, uti Adamum decet. Quid ille vafer & malignus? Evam adoritur, sensus ipsius adjectat commoda, delicias proponit omnes voluptatum explicat illecebras, quarum gustu vel minimo expugnatur Evæ imbecillitas illa incantatum opprimit Adamum, mendaciumque commenta, lenocinio suo atque blanditiis eum cogit aberrare. Athanasius sane, cum puritatem animi, quæ in Adamo primitus fuit, spiritualium rerum contemplatione tantum occupato metaphoricè Paradisum à Mose nominatum ostendisset, ibidem abiecit, quo pacto sensus mentem à spiritualium rerum meditatione, Serpentis consilio, ad corporis voluptates averterit abstraxeritque. Divus Augustinus in 48. Psal. *Singulis*, inquit, *nostrum inest mulier hæc: quippe caro nostra Eva est, quæ seducit virum, id est, rationem: per quam carnem labitur homo, quem calcanei nomine, quod à Serpente fuerit impetum, Prophetæ appellaverunt.* Hinc Menander Samaritanæ occasionem sumpsit scelesti perniciosique dogmatis, qui nuptias, & generandi studium, à Vipera naturæ Satana mentiebatur emanasse.

Menandri  
Samaritana  
11707.

## SENSUS QUINQUE. CAP. XXVII.

**I**N Evangelica lectione virgines quinque fatuæ, totidemque prudentes, cum lampadibus procedunt, quæ, ut Abrosius putat, sensus quinque in sapientibus suo lumine lucidos, eosdemque in insipientibus



**A** insipientibus erroris tenebris offuscatos indicarent. Quare videndum an Fulgentius recte ex Apollonophanis Epico, ut ipse dicit, carmine, commentus sit Saturnum latum *v̄v̄* appellari, quod *v̄v̄* Græce Sensus dicatur, quem pro Mente & intellectu poni passim invenimus, nisi ea de causa vocabulum u-<sup>Saturnus</sup> surpemus, quod per sensum, ut Aristotelici, ad rerum cognitionem devenimus: à *vobis* enim *v̄v̄*. *v̄v̄* appellat-<sup>ur</sup>. Quod tamen alicubi *v̄v̄* significatum usurparit pro sensu, id in Aeonibus Valentini habetur: nam is Aristotelem secutus, λόγος à Νῦ emissum prædicabat, rationem quippe à sensu proficisci: de quo Irenæus lib. II. cap. 39. & 40. nam hæc nunc nostri non sunt negotii. Duo vero sunt, si credimus Aristoteli, quæ nostri ad unamquamque rem motus causa sunt: vel ipsa scilicet cogitatio, si nunc intellectum vereamus appellare, vel sensus: rerum enim aut utilium, aut commodarum, aut quas quoquo modo bonas existimamus, imaginatio, vel ab ipsa cogitatione procedit: quia tales fore existimamus, vel ab eo quod sensu experti sumus. Ipsa igitur vel cogitatio vel sensus, imaginationem creat, imaginatio statim excitat appetitionem, appetitio affectum, affectus motum, ut ad assecutionem perveniatur. Nostri igitur primi parentes duo, intellectus & sensus. Intellectum vero hic accipio cogitationem quæ certo fit cursu peracta. Sensus ubi intellectui paret, perpetua utitur tranquillitate, ipsoque deliciarum paradiso perfruitur: ubi vero intellectus sese sensui manciparit, tota aberrat via, & à priori illa amœnitate quieteque ad labores, & invisas rerum omnium turbas eji-<sup>Intellectus  
Adamo  
sensus est  
attributi.</sup> citur.

## MALUS DÆMON. CAP. XXVIII.

**Q**uod vero malum dæmonem per Viperinam figuram indicamus, multorum consensus accedit. Nam & apud D. Hieronymum Draco inter Diaboli cognomenta numeratur, & diabolus locutione Mali sæpe ponitur, ut in prece quotidiana diceret Cyprianus, *Sed libera nos à malo*, quod tamen ipse, *Libera nos à maligno*, protulit. Sed præcipuè Ecclesiastici 10. eo loco: *Si momorderit Serpens in silentio, si quem*, ait is, *Serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit*, & quæ super pœnitentia sequuntur. Hæc causam addidère nonnulli, linguæ motationem, quæ tam multiplex appareat, ex quo multiplicia ejus incitamenta interpretantur. Nam qui ejus minister est, aliud porro lingua loquitur, aliud corde meditatur. his Dominus ait: *Generatio Viperinum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Et in Divinis literis alibi: *factum silentium in celo*, legas dum committeret bellum Draco cum Michæle Archangelo: alibi, contritum ab Assertore nostro caput draconis in Jordane fluvio, atque ita nos ab ejus dominatione liberatos, & hujusmodi pleraque alia. Nam & Pythones genus dæmonum est, & Pytho Serpens apud gentiles effingitur, quem Apollo sagittis confecerit, quod quid sibi velit, alibi diximus. De Pythonibus habemus in gestis Pauli, qui unum ex his exire jusserit è muliere, quam is occupaverat: propterea quod clamitabat illa, & Paulum & ejus comites esse servos summi Dei, qui viam salutis annuntiarent. *Id vero dolebat Paulus*, inquit Origenes, *quod indignum judicaret sermone suo è Pythonis spiritu testimonium exhiberi*. Et 1. Reg. 28. *Saul mulierem, quæ Pythonem habeat, sibi sibi mandat, ut per incantationes Samuelis animam evocet*. <sup>Pythones</sup> *quid ret*. Sunt qui dicant (ut hoc *πυθων* admoneamus) Samuelis non animam, sed imaginem Pythonissæ aggestam: sunt, qui Dei permisso veram animam asserant, ut ex calamitatis, quæ Sauli toties prædicta fuerat, asseveratione, acrius cruciaretur: alioquin, Deut. 18. *maximè eum abominatur Deus, qui Pythones consulat*.

## DELECTATIO. CAP. XXIX.

**Q**uamvis pertinet ad delectationem, audimus Deum Opt. Max. ita illum execrantem de-<sup>Gen. cap. 8.</sup> voventemque, ut super pectus suum, & utero incumbens suo, sit semper incessurus, Serpens: quod, ut diximus, Philope, Ambrosio, Athanasio, & aliis subscribentibus, de terrenis delectationibus intelligitur: quare in id quoque devovit Serpentem Deus, ut terra perpetuo vesceretur. Ac ne Menippeam fabulam ab aliis recitatam seriis his admisceam, adagium illud ex ea tantum attingam quod de Lamia fertur, quæ libidinis appetitu percita, Menippi admodum juvenis sanguinem deglutire cupiebat, ab Apollonio Tyanæo, ut memorat Philostratus, dictum ὄφιν φιλίππεις, ἃ σὲ ὄφεις: <sup>Adagium,  
ex Menippeæ fabula.</sup> *Anguis, quod is scilicet mulieres appeteret, & ab eisdem identidem expeteretur*.

Z

Quid



Quid Plato? nonne Mosaicam secutus historiam ait Phædro dæmonem aliquem in ipso statim principio rebus humanis voluptatem immiscuisse: veluti oblectamentum aliquod non inconcinnum adulatori gravissimæ bestiæ, maximaque calamitati, natura inferuerit?

LIBIDINIS ANTIDOTUM. CAP. XXX.

Plin. lib. 28. cap. 4. Serpens à jejuni hominis sputo necatur.

**A**nimadvertendum vero est naturam ostendisse nobis, jejuni hominis sputo Serpentem necari posse, ex quo tacite submonuit, Venereas voluptates libidinisque ardorem, jejunio idem extingui: nam hæc sine Cerere & Baccho, ut ait ille, omnino frigent. Et Matth. 9. adolescens ab impuro oppressus dæmone non nisi oratione & jejunio curari potest, ut Asertor noster admonuit. Et quoniam sunt quibus commentitium hoc videtur, asserit id Galenus *αξι negάστως* tertio: asserunt idem Alexander Aphrodisæus, author minimè contemptibilis, & Plinius, & plerique aliorum naturalium scriptores, qui rem ita tradunt: *Si saliva jejuni hominis in os, vel vulnus Scorpionis, vel Serpentis, vel alterius venenati animalis incidit, & ad interiora penetraverit, exitialem eius est,* quod & Lucretius his versibus tangit:

Lib. 4. de Nat. rer.

*Est itaque ut Serpens, hominis contacta salivâ  
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.*

Causam Philosophi perscrutantur, ajuntque fieri hoc ob magnam inter utrumque animal contrarietatem: Serpens siquidem frigida & sicca est corporatura, homo autem calida & humida, hinc alterum alterius visu tactuque exhorrescere, humanoque sputo tactum Anguem æquè fugere, ac frigiditatem in aquam incidisset: id si penetrarit in fauces, extingui. Quod vero ajunt pollere ad hoc jejuni hominis salivam, sciendum & ab jejunio quoque morsum esse pestilentem.

PETULANTIÆ FINIS. CAP. XXXI.

Plin. lib. 28. cap.

**N**eque absimile est à sacris inventis, quod de Chimæra dicitur, cujus extrema pars in draconem defierit. Amorem enim lascivum per signentum illud significari tradunt authores optimi, cujus finis quinam alius esse potest, nisi voluptuosa præcitas? quæ tamen, ut ex voto facta transactaque omnia sint venenum demum internecina animi exulceratione relinquit, quæ latius in Leone ubi de Chimæra agitur, sunt explicata, ubi & quid super hoc Hesiodi interpretes asserunt, addidimus. Talis dubio procul Serpens incautam Eurydicem affixisse fingitur à Poëtis.

VOLUPTAS MATURE EXTINCTA. CAP. XXXII.

**H**erculem vero, quem vetustas illa pro virtutum omnium tam animi, quam corporis idea proposuit, Angues etiamnum in cunabulis elisisse canunt: quippe eum innuentes, qui ad magna præclaraque negotia sit natus, debere, vel à teneris unguiculis extinguere voluptates. Merito igitur insigne facinus hoc utili omnibus exemplo futurum, tot in marmoribus sculptum videas, atque in numis etiam, cujusmodi ille est, cujus altera facies inscriptionem habet ΚΡΟΘΩΝΙ. Literæ vero reliquæ in numo quem attrectavimus, detritæ sunt. Quod si qui figuram hujusmodi autumant institutam, ut fortitudinem, incolumitatem, ac membrorum robur, quo Crotoniatis vulgo præditi credebantur, Herculi commendarent, non laboro: quippe qui non ignorem bonæ valetudinis laudæ, scriptorum omnium consensu, Crotoniatis attributam, adeo ut in uno certamine Olimpico septem viri, qui reliquos virtute præcellerant, pariter Crotoniatis omnes sint reperti, quod latius apud Strabonem libro Geographiæ sexto. Unde etiam dictum illud emanarit, *κρότωνος ὀυγιάστρον*. Deq; optima valetudine Plautus ait pugilicæ, atque athleticæ: nam membra fortia vegetaque magis omnino ea sunt, quæ minus sese voluptatibus & nequitia dederunt. Sed ut ad Anguæ revertamur, ne adeo mirum sit eum voluptatis & libidinis habere significatum, legimus apud Plutarchum eos puellarum amafios aliquando deprehensos esse, omniaque amoris & nequitia signa præbuisse veluti is, qui Actonliæ cujusdam amore captus, noctu eam adire suetus, puellæ corpori circumfusus, hac atque illac illabens, illam numquam neque ultro, neque invitus lædebat, opportuneque sub diluculum recodebat. quod cum ii, quibus puella curæ fuerat, intellexissent, eam alio migrare compulerunt: Serpens per triduum

Serpens ætalia amafios puella.



**A** triduum & quadriduum non adesse, sed diligenter accurateque circuire illam quæritans, quam ubi mox invenit, casu illi obviam factus, non uti solitus erat mitis & blandus, sed asper & horidus in eam insiliit, manibusque primum spiram ad corpus adstrictis, caudæ residuo femora flagellabat, levem quidem iram præ se ferens, quæ licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen aperte demonstraret.

## ARAXA. CAP. XXXIII.

**N**eque quidem dissimulandum, quod Scythæ hujus salacitatis ergo, quæ per Serpentem symbolice fingitur, Araxam famosæ libidinis feminam, cujus Diodorus tertio meminit, semiviperam figurabant: humana quippe forma umbilico tenus, reliqua Viperina. Ferunt hanc cum Hercule copulatam filios tres genuisse, Agathyrsum, Gelonum, & Scytham juniorem, qui totidem gentium mox autores fuisse perhibentur.

## CONTINENTIA. CAP. XXXIV.

**I**n sacris Hebræorum literis, Serpentem æreum Moseos admonitu factum legas, qui adversantem voluptatibus virtutem præ se ferebat, hominemque à pestifero quo vis veneno sospitem reddebat: ea est continentia, atque constantia, atque ideo ex ære, hoc est, fortiori perenniori; materia conformatur: æs enim valde solidum est, neque ulli obnoxium rubigini, quare *nexas ære trabes*, apud Virgilium legas, ad perennitatem catenarum, & *monumentum ære perennius*, apud Horatium eodem sensu. Idem & viventium salubritati adversus putrescentiam, efficacissimum est remedio. Acuti quoque mucrones ærei cadaveribus infixi, ea ne putrescant, vel, ut diutissime saltem asseruentur, efficiunt.

## CALLIDITAS. CAP. XXXV.

**S**ed neque calliditas prætereunda est, quæ per Serpentis imaginem indicatur. Et Moses prudentissimum inter bruta Serpentem dixit. Animal præterea motu varium est, atque ad subsidium defensionemque præcipue paratum, quodque hostem ulcisci probe possit & norit. Draconi vero similis est virtus indagatrix, quæ diligenter omnia perscrutetur, rimeturque studiosissime, ideoque ab acuto visu nomen illi factum. Et quoniam in primis voluptatem ex eo significari diximus, ut quod instat agamus: ea demum vera voluptas est, quæ ex intellectu depurgato, & sano sensu perfectissima redditur, unde absolutum oritur iudicium, quo freti possumus nosmetipsos prudenter tueri, atque sapienter conservare. Quod igitur vitæ periculum amatoriam morsuunculæ, & voluptatum vulnera, intortique deliciarum laquei intentare videbuntur, id omne temperantia depellat, longeque summoveat: Illa enim una incontinentiæ opponitur adversaria, Equum hæc, utpote ferocientis improbitatis, & vitiosæ cupidinis simulacrum, mordeat, atque ita vitio prostrato, *sesforem in virtutis æqua planitie sanum in columemque siltat.*